



Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cvris Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.I.], 1645

§. 5. Nulli, ob opera à se præstita, præsumptuosè agendum, nulli
desperandum esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

ut ex amore Dei , saltem in extremo vita positi-
tus, pœnitentiam agat, auereturq; peccata: ec-
ce ipse misericordissimus hominumq; amantissi-
mus Deus , s̄ape se usq; adeò benignum & ama-
bilem etiam desperatisimis peccatoribus (quos
alicuius virtutis merito insignitos esse cognoscit)
sub mortem exhibet , ut illi ex intimis præcor-
dijs doleant , quod offenderint tam piūm Condī-
torem atq; Redemptorem . Per quam nimirūm
pœnitentiam , apti redduntur ad salutem conse-
quendam; & peracta tali peccatorum purgatio-
ne , qualem diuina iustitia quiescerit , in aeternū
cœlestis regni gaudium introducuntur . Profecto
in altissimo secretissimoq; profundo latet fons ille
inexhaustus , unde tanta pietas ad nos dimanat ;
unde tanta misericordia super nos effunditur :
de qua qui desperat , Deum bonum & veracem
esse negat , in Spiritū sanctum blasphemus . Hæc
ille.

§. V.

*Nulli , ob opera à se præstā , præsumtuosè agen-
dum , nulli desperandum esse .*

At ne , qui vel eleemosynæ , vel alterius
cuiusdam boni sibi operis conscius est , te-
merariè præsumat , sibiique certò Numinis
gratiam promittat , etiamsi in grauia scele-
ra prolabatur ; sciat multos , immo pluri-
mos

mos in Inferno ardere , qui vel antè , quām se flagitijs inuoluerent , vel in ipsa scelestā vita , sanctissima quædam opera præstiterunt . Nouit Deus illa temporali aliqua felicitate compensare ; ad quod ipsum etiam , vi iustitiae non astringitur ; quamuis id , præ bonitate sua , faciat . Multa vtique laude & honore digna fecit Aman , quem tamen Af-

Esther. 7.

9.

3. Reg. 2.

I.

suerus justè suspendit , quia ille , quidquid , præmio dignum egit , crudelitate sua euertit . Hunc morem passim Principes obseruant ; gladio addicunt rebelles , qui antè charissimi extiterunt . Ioab quantus fuit ; apud Dauidem ? non ille etiam per æstates hibernando ; sed vel in summis frigoribus ; aut asperrima tempestate , manus strenue conserendo , bellauit ; non , velut malus Fabij imitator , ociosè cunctando , sed pugnando assidue , rem restituit . Quot non victorias retulit ? quot non hostes interermit ? quantas nō sedauit rebelliones ? & tamen ; quando , appropinquauerunt dies Dauid , ut moreretur , præcepit , inter cætera , Salomoni filio suo , dicens : Tu quoque nosti ; quæ fecerit mihi Ioab filius Saruia , quæ fecerit duobus principibus exercitus Israel , Abner filio Ner , & Amasa filio Iether : quos occidit , & effudit san-

sanguinem belli in pace, & posuit crux prælii,
in baltheo suo, qui erat circa lumbos eius, & in
calceamento suo, quod erat in pedibus eius. Fa-
cies ergo iuxta sapientiam tuam, & non dedu-
ces canitatem eius pacifice ad inferos. Cur non
idem faciat Deus? Enim uero sæpe etiam fa-
cit. Quamobrem Saul regem sic compellauit
Samuel: Nonne, cum parvulus es in oculis 1. Reg. 15.
tuis, caput in tribubus Israel factus es? un-
xix, te Dominus in regem super Israel? Et
rursum: Pro eo, quod abieciisti sermonem Do-
mini, abiecit te Dominus, ne sis rex. Nec tan-
tum folio, sed etiam vita (& utinam non
etiam vita æterna!) illum excidere passus
est. Nemò ergo temerè peccet, etiam vir-
tutis sibi conscius. Tantali hortus sunt vir-
tutum opera vitijs, velut spinis, suffocata.
Nemo etiam desperet, immo tanto promptius
liberalitatem, clementiam, aliq; pie-
tatis opera exerceat, quia, sperare potest,
si non præfidenter ac præsumptuosè, sed
casu, aut imbecillitate quadam labatur, De-
um ea ipsa opera aspecturum, apud quem
misericordes misericordia consequuntur. Quod Matth. 5.
congruum esse dixi, conueniensque di-
uinæ bonitati, atq; ex recitata
historia constat.